



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**REPERTO||RIVM LIBRORVM TRI||VM IOANNIS BOEMI DE  
OM||NIVM GENTIVM RITIBVS,||**

**Boehme, Johann**

**Augustæ Vindelicorum, 1520**

**VD16 VD16 B 6316**

Praefatio. Ioannis Boemi Avbani Domini Tevtonici, Ad Letcorem Præfatio

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98144](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98144)

IOANNIS BOEMI AVBANI DOMINI TEV.  
TONICI, AD LECTOREM PRÆFATIO



MEMORABILIORES gentium mores, ritus, leges, locorumque ubi degunt situs, quos historiae pater Herodorus, Diodorus Siculus, Berofus, Strabo Solinus, Trogius Pompeius, Ptolomæus, Plinius, Cornelius Tacitus, Dionysius Apher, Pomponius Mela, Cæsar, Iosephus: & ex recentioribus nonnulli, Vincentius, Æneas Sylvius, qui postea Pij secundi pontificis maximi nomen tulit. Antonius Sabellicus, Ioannes Nauclerus, Ambrosius Calepinus,

Nicolaus Perottus in Cornucopijs: alijque permulti clarissimi rerum scriptores in commentarijs suis diffuse & ceu per partes celebrare: ut in vno libro conscriptos haberes, facileque quando vsus deposceret inuenires, historiae lector cultorque studiosissime per otium succisuis horis undique conque suis, collegi, & in diarium hunc conscripsi, digessi, non spe lucri vilius, non popularis auree ambitione, verum enimvero tam libero & plane ociofo studio, que rei ipsius mira dulcedine atque utilitate. Tum veteres, tum recentes, bonos item & malos, indifferenter, ut ipsis tanque presentissimis atque optimis exemplis perspectis vitam instituendo laudabiles sanctosque emulabundus secteris, culpabiles & obscenos factu vitabundus prætereas, Cognoscasque mi lector que pulchre & feliciter hodie, que item inculte & simpliciter olim primi mortalium a creatione sua ad generale diluuium usque & ultra multis seculis per terram vixerint: quum in vsu adhuc æs signatum haberent nullum, Mercimonia nulla, beneficia mutuo beneficijs æquarent, Nihil proprii cuique esset, quemadmodum aer & cælum, ita terra & aqua omnibus communes: Non honoribus, non diuitijs inhiarent, cum quisque sibi & admodum paucis contentus in rure sub dio, aut saltem umbrosa sub arbore aliqua, humilium casa cum consorte vna vel pluribus, cum dulcibus natis securus & pene ociosus ageret, congestis agrorum fructibus pecorumque lacte vesceretur, aquam potaret, vestimentum ex arborum corticibus latisque folijs primum, deinde ex inconcinatis animalium pellibus sibi consueret, nullis obseptis mœnibus, nullis fossatis, liber vagansque inter libera & vagantia pecora, ubicunque nox deprehendit, resideret, non latrones, non fures ullos metueret, lætus prorsusque ignarus eorum omnium esset, que postea vna cum adolescente mundo ex varijs discordibus mortalium studijs, voluntatibus, emulationibus, subsequuta sunt, quando propter fructuum absque cultura nascentium insufficienciam aliarumque rerum defectum, bestiarum hominumque externarum impri mis crebram incursionem, grassantemque violentiam congregati hominum cœtus eam peruagandi nocendique libertatem communibus auxilijs prohiberi, quique sibi certos terre limites, certos agros vendicauere, in quibus coadunatis tugurijs populariter habitare cepere, se muris ac fossis p̄munire, legesque

Auctores quos  
in hoc opere  
sequitur

Causa quæ  
eum ad scribendum impuleuit

Libelli farrago

Utilitates enumerat

Moralium uerum simplicium vita

Securitas & libertas.

Congregati homines primum.

## Præfatio.

libi & magistratus, vt pacate & ipsi inter se viterent eligere: lam nō ex rure, nō ex pecore solum, sed varijs inuentis artificijs, varijsq; laboribus vitę emolumenta quærere: per mare colligatis ratibus q̄ longissime, deportandi primum colonias gratia, deinde mercandi, ire, iunctis equis curribus vti, *Æs* in monetam signare, cultius molliusq; vestiri: humanius loqui: pacatius conuersari: splendidius vesci: magnificentius ædificare: per omnia iam mitiores cultiores prudentioresq; esse, agnatam barbariem feritatemq; famosam sponte sua exuentes, a mutua cede, ab humanarum carniū esu, a rapinis, a publico & indifferenti matrū filiarumq; congressu, talibusq; multis abstinere, *Rationi* & viribus iam innitentes terram, quę tota tunc opacis syluis, nocentibusq; bestijs, & stagnantibus vndis, humano incolatui inconueniens, deserta, horrida, omninoq; inculta & infrequens iacebat, industria & labore a saxorum salebris, ab arborum truncis, a superfluis vndis expurgauere, planauere, & totam fecundam spectabilemque fecere, Campos aruis, colles vinetis adaptauere, sarculo proscissos frumentum atq; vinum largiter producere instituere, qui grauate prius glandes syluestriaq; poma dedere, valles irriguis pratis hortisq; amoenissimis decorauere, suprema montium syluis relicta, adeo omne solum fructificationi assignauere, vt quod lignationi pabulationiq; satiffaceret, superesse vix passi sunt, Loca ad hæc omnia frequentissime incolere ceperunt, passim ædificare, ex modicis pagis amplissimas vrbes, ex villis pagos, in excellis montibus arces, in vallibus deorum templa struere, fontes vt salubriores vtq; delectabiliore essent, cęlis marmoribus complexi sunt, circūcircaq; consitis arboribus amoenissime obumbrare, a quibus in vrbes salientem aquam per cannales latentescq; siphones q̄ longissime deriuauere, vbi naturaliter deerat, defossis in terram puteis profundissime exæliere, torrentes impetuosaq; flumina, quę frequenter prius prohibito in maximam interdum accolarum perniciem expatiabantur, obiectis aggeribus coercuere, atq; vt transuadabilia, nihiloq; negotiationibus humanis obstantia essent, immixtis in imum palis aut arcibus eductis, validissimos pontes superimposuere, In mari scopulos, a quibus nauigantes periclitari solebant, vt plurimum deiecere, demolitiq; sunt, Insulis & continenti solo portus multos fecere, ac in quibus admotę naues a ventorum flatibus secure quiescerent naualia stationescq; amplissimas effodere, adeo omnia per terram, per mare excoluere, elaborauereq; vt terra ipsa ad priscum eius situm, naturalemq; squalorem hodie comparata, alia esse credi possit, q̄ quę olim fuerit, deliciosissimo huic horto certe haud multum dissimilis, ex quo: propter diuini præcepti transgressionem, infelices prothoplasti Adam & *Æua* eiekti sunt, Præterea multas ingeniosissimas disciplinas multas artes inuenere homines: quibus per excogitatas etiam varias literarum notas libris tabellisq; (vt ad posteros peruenirent) demandatis, sese extra mortalem conditionem in tantum vindicare, extulereq; vt indigerum deorum beatissimam vitam iam consequuti videri potuissent. Si non mundi princeps iniquissimus Sathan superfeminata pestilentissima zizania integrum & foelicem hunc statum confudisset, qui vt ho-

Varia moralium studia & inuenta.

Homines cultiores facti

Terra vberior facta cultior

Terra paradiso equata

Homo extramortalem conditionem se vindicauit

mines & numero succrescere cognouit & melius in mundi delicijs iam habere, inuidia permotus teterrimis omnis generis sceleribus primum sibi obnoxios factos, mox futurarum supercaelestiumq; rerum curiositate affectos, per obscuras oraculorum ambages, iniecta superstitione atq; timore, deorumq; profanam culturam (vt vnus veri singularis dei cognitionem oboleret, mortalesq; ipsos aliquo insigni malo afficeret, edocuit, hic Delphica, illic Euboica, alibi Nasamonica adyta dodoneasq; quercus maligna inspiratione resonare fecit: quibus in Latio Saturno, in Creta Ioui, Iunoni in Samo, Baccho Thebis & in India, Isidi Osyricq; in Aegypto, in Illo Vestae, in Aphrica iuxta Tritonem Palladi, Mercurio sub Teutatis nomine in Gallia & Germania, Mineruq; Himetto atq; Athenis, Apollini Delphis, in Rhodo, Chio Patara Liciae, in Troade, & Tymbra: Dianae in Deis & Scythia, Veneri in Cypro, in Papho Gnido Cytheraq; Marti in Thracia, Vulcano in Lippara & Lemno, Priapo in Lampfaco Hellepontis alijsq; multis in multis alijs locis, quorum adhuc nomina obpreclarissima inuenta & beneficia popularibus suis collata, in recenti memoria erant, diuinos honores fieri excitauit: deinde etiam postq; Christus Iesus verus dei omnipotentis filius assumpta carne apparuisset atq; erranti mundo rursus verum aeternae beatitudinis iter ostendens, verbo & exemplo ad patris sui caelestis gloriam, ad bene beateq; viuendum dehortatus esset, missisq; in orbem vniuersum discipulis, salubri illorum praedicatione nefandissimos superstitionis ritus damnasset, religionem nouam, nouaq; saluberima vitae instituta promulgasset, & iam eo quidem deduxisset, vt ipsis ab omnibus in orbe gentibus receptis, ad veram felicitatem desyderari vltterius potuisset nihil. Ipse Sathan in genuinam malitiam reuersus, curiosam hominum pectora, quae destituere coactus fuerat, iterum circumueniens quaedam in priorem errorem reduxit, quaedam nouis haereticis opinionibus a deo corruptis, a deo excaecauit, vt multo melius ipsis fuisset, ingressam semel veritatis viam quodammodo ignorasse, q̄ sic temere, sic maliciose dereliquisse. Observant hodie diuinoq; honore q̄ deuotissime prosequuntur Asiae minoris, Armeniae, Arabiae, Persidis, Syriae, Assyriae, Mediae, & in Aphrica Aegypti, Numidia, Libyae, Mauritaniae, In Europa totius Graeciae, Mysiae, Thraciae, Turcici nominis gentes omnes, Christo abiecto, Epilenticum Mahometum & illius vesanum dogma, Scythiae latissimi populi, qui Tartari hodie vocantur, pars Imperatoris sui Chami idola, pars astra, pars etiam vnum deum ex apostoli Pauli doctrina veneratur, Indiae ac Aethiopiae gentes, quae presbytero Ioanni parent, Christianam pietatem tuentur, sed instituto longe a nostro diuerso, sinceram orthodoxamq; Christi fidem, qua gratiole olim orbis vniuersus illustratus fuit, Germani retinemus, Itali, Galli, Hispani, Angli, Scoti, Hyberni, Daci, Liuoni, Prussi, Poloni, Hungari, & insulares Rhodni, Siculi, Corsici, Sardinii, pauciq; alij. Effecit acerbissimus humani generis hostis hac inducta morum diuersitate, hac sacrorum & rituum perdita damnosaq; superstitione, vt dum vnaquaeq; gens deum, quem religiose colit, quemq; prae se fert verum summumq; esse, dum se rectam aeternae bea-

Mali daem  
nis inuidia  
homo pesti  
datus

Verus deus  
obliuioni  
datus.

Pluralitas  
deorum  
inducta

Vbi locorū  
quiq; deorū  
magis culti

Christus Ie-  
sus ab errore  
vindicauit

Malus dae-  
mon iterum  
homini insi-  
diatus.

Genes Ma-  
hometane

Idolatrae  
Schytrae

Schismatici

Veri Chris-  
tiani.

**Præfatio.**

**Discordia**  
ois femina  
rium cultus  
diuini dispa  
ritas

**Quæ cogni**  
tio externa  
rum rerū iu  
cunda & vti  
lis

**Prisca Græ**  
cie philoso  
phi unde phi  
losophiā &  
gloriam au  
spicati.

**Primi legi**  
latorum vn  
de autorita  
tem conse  
quuti

**Sapientes**  
sæculi

**Præstantissi**  
mi herces un  
de militari  
hanc gloriā  
obtinere

**Peroratio**

titudinis viam ambulare: cæteras vero omnes per deuia, per abrupta oberra  
re magnis rationibus contendit, dumq; vnaquæq; sectam suam longe lateq;  
propagare & extendere nititur: sese mutuo tantis inimicitijs, tantis odijs ha  
beant prosequanturq; vt ad exterras hodie nationes peregrinari non solum  
non sit tutum, sed fere omnino prohibitum & occlusum: vnde fieri per suasū  
mihi habeo vt dum vicinarum gentium nomina vicinis gentibus vix cogni  
ta sint, pro mendacijs hodie repudientur quæ cuncq; de ipsis aut scribant aut  
referantur: quorum cognitio tamen adeo dulcis, adeo utilis, gloriofaq; sem  
per reputata est, vt clare constet: non ob aliam causam q̄ illius amore atq; de  
syderio plerosq; relicto natali solo, relictis charis parentibus, coniugibus, libe  
ris & amicis, relicta quod magis est propria salute cum maximis difficultati  
bus/periculis/curis/angustijs vt aliquid experirentur, remotissimas transma  
rinas interdum assumpsisse peregrinationes: vt compertum habeamus non  
hac tempestate nostra solum verum ab exordio fere mundi omnes perq; ma  
ximæ autoritatis/prudentiæ/eruditionis ab omnibus existimatos. In reipu  
blicæ (pacis & belli tempore) magistros, consiliarios/iudices/censores/admi  
nistratores/duces publico consensu electos affictosq; esse: qui ad remotas ter  
ræ oras aliquando profecti multorum populorum mores cognouere & vr  
bes: quemadmodum Græci atq; Itali præscos illos philosophos Socratem  
Socraticam, Platonem Academicam, Aristotelem peripateticam, Antisthe  
nem Cynicam, Aristippum Cyrenaicam, Zenonem Stoicam, Pythagoram  
Pythagoricam: tantas sectas tantamq; discipulorum frequentiam instituire  
conciliareq; sibi potuisse conspiciamus: quemadmodū veteres quoq; legum  
latores Minoim & Rhadamanthum Cretensibus, Orpheum Tracibus, Draco  
nem Solonemq; Atheniensibus, Lycurgum Lacedæmonibus, Moysen Iudæ  
is, Zamolxim Scythijs, aliosq; multos popularibus suis præscriptas sacrorū  
cærimonias, ciuilesq; disciplinas ferre potuisse videmus: q̄ non a se intra pa  
trios muros eas excogitasse, sed a sapientissimis sæculi hominibus Chaldeis  
ipsis, Magis, Bragmanis, gymnosophistis, & ab Ægyptiorum sacerdotibus  
cum quibus aliquandiu conuersati essent deportasse scirent: quemadmodū  
postremo præstantissimos heroes Creteum Iouem, qui quinque terrarum  
orbem perlustrasse prædicatur: Pari quoq; studio successuq; eius duos filios  
Dionysium cognomento Bacchum, & fortissimum Herculem emulumq; il  
lius Thesea, Iasonem cum cæteris argonautis, naufragū Vlysses, & ex Tro  
ia profugum Æneam, Cyrum, Darium, Xerxem, Alexandrū magnum, Hani  
nibalem pœnum, Mitridatem Ponti regem, quinquaginta nationū linguis  
loqui peritum, Antiochum magnum, innumerosq; Romanorū principes,  
Scipiones, Marios, Lentulos, Pompeium magnum, Iulium Cæsarem, Octa  
uium Augustum, Constantinos, Carolos, Othones, Conrados, Henricos,  
Fædericos, per factas a se in exteras nationes bellicas expeditiones, immor  
talem hanc gloriā sempiternamq; memoriam comparare potuisse cogno  
scimus. Quapropter cum tanta sit in gentium earundemq; morum cognitio  
ne voluptas, tanta vtilitas, cumq; omnibus remotas terras adire inuisereq; ob

plurimas causas nō concedat, nō liceat etiā, velis suavissime mi lector cōscri-  
 pros in hoc libro celebriores gentiū mores celebrioraq; in qbus habitant, lo-  
 ca nō minori alacritate promptitudineq; legendo amplexari & cognoscere,  
 q̄si te per manus regionatim circūducens fidelissime quo instituto, & quo  
 in loco, vnaquæq; gens vitā egerit hodieq; agat, & ore ad os referrem, & ad  
 oculū digito demonstrarem, Non moueri, nō auerti velis, q̄ a rigidiori cen-  
 fore mihi obijci, exprobrariq; possit, rem me p̄uētustissimā, & plus q̄ a mil-  
 le authoribus antea p̄tractatā, etiā non alijs q̄ eorū verbis, nunc pro meo,  
 proq; nouo aliquo attulisse, verū institutū meū diligentius introspicens co-  
 gnoscas: me tam ex ingenij mei, q̄ librorū meorū thesaurō haud vulgari tibi,  
 ceu liberalis hic paterfamilias, cui in euangelio Christus omnem scribā do-  
 ctum comparauit, dilecto hospiti nō aliena modo & vetera, sed mea etiā &  
 plurima noua exhibere. Vale, & quicquid est boni conlule, acceptūq; habe.

Veniam præ-  
 catur

OCTOSTYCHON FRATRIS IOANNIS DE VERTAYNG  
 ORDINIS MINORVM OBSERVANTIAE.

Temporibus varijs genuit Germania doctos,  
 Quorum de numero præsto Boemus adest,  
 Iplius ingenium florens hoc non mediocre  
 Comprobat, & vero dogmate magnificat,  
 Hunc tenet Vlma suum digne generosa Poetam,  
 Hunc quoque Teutonicus nobilis ordo tenet  
 Cognoscas, scriptum promit sine labe volumen,  
 Et verum Lector me retulisse feres.

CHONRADVS TEXTRIVS VVEISSENHORENSIS.

Qui loue plus cupiat Cretæo noscere mundum  
 Polytropon quisquis vincere Vlyssen auet  
 Quisquis Meoniæ sitiat præconia laudis  
 Qui lepidus prudens, qui velit esse sciens  
 Hic habet vnde sciat diuino munere librum  
 Quem facis ingenio docte Boheme tuo  
 Docte Boheme tuo sint sæcula maxima libro  
 Sint calamo grates docte Boheme tuo.

ALEXANDER BRASSICANVS POETA LAVREATVS

Vis esse Vlysses omnium	Pontoque errare perfido:
Moresque habere gentium:	Librum Boemi sed lege
Longum est iter: si climata	Illum domi tranquillimet:
Mundi velis per omnia	Qui rite cuncta continet:
Cælo volare dubio:	Quæ Sol oculus cæli videt.